



## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Richardi Arsdekin Soc. Iesu S. Theol. Professoris  
Theologia Tripartita Sive Resolutiones Polemicæ,  
Speculativæ, Practicæ, Controversiarum, & Quæstionum,  
etiam recentissimarum, quæ in Schola, & ...**

Missionarijs, & alijs animarum Curatoribus, & Theol. studiosis solerter  
accommodatæ ...

Complectens copiosè Resolutiones Theologicas, etiam modernas, ad  
praxim accommodatas

**Archdekin, Richard**

**Antverpiæ, 1682**

P. 23. An, & quomodo opiniones aliquando Probabiles, possint per  
Censuras aut aliter fieri Improbabiles?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40873**

P. XXIII. *An, & quomodo opiniones aliquando Probabiles, possint per Censuras aut aliter fieri Improbabiles.*

**D**icendum primò , Prælatos Ecclesiasticos tam Sæculares , quàm Regulares posse ob justas causas suis subditis prohibere , ne certas Propositiones doceant, sustineant, aut in praxim externam deducant, etsi non desint aliij probati Authores qui doctrinam illam ut probabilem recipiunt.

Quia Prælati respectu suorum subditorum habent jurisdictionem , ut in materia etiam indifferenti ferant leges eorum directioni conductentes, qualis potest esse abstinentia ab usu doctrinæ , quæ prudenter judicatur illis nocitura , etsi ea non sit aliis interdicta.

Dico Secundò , Hujusmodi prohibitio , aut censura , alios præter eorum subditos obligare non potest , quo minus doctrinam ab iis prohibitam doceant, eamque in praxi sequantur.

Quia ista censura aut prohibitio, doctrinæ veritatem non attingit, sed tantum vim habet aliqujus præcepti ut alios ab ejus usu cõerceat , præceptum verò Prælati ultra ejus subditos extendi non potest.

Dico tertiò , Eadem ratio est de Censura aliqujus Doctoris, aut Academiæ , quæ istius tantum Facultatis Academicos ad obtemperandum obstringit : doctrinam verò per se non reddit improbabilem , sed vim habet privatæ auctoritatis , qualem obtinent aliij Authores paræ dignitatis , & eruditionis , qui de eadem doctrina suum suffragium tulerunt. Hinc sicut Sedes Apostolica

postolica (quæ sola in reliquam Ecclesiam magisterium exercet) aliorum sæpe Doctorum sententias damnat aut interdicit, sic ipsas Prælatorum aut Academiæ censuras non raro graviori censurâ castigat, & erroneas esse declarat, ut probant non pauca quæ præsto sunt superiorum temporum exempla.

Et hoc quidem Censurandi munus proprium esse Romano Pontifici, rectè docet Facultas Theologica Academiæ Lovaniensis in Iustificatione suæ Censuræ editæ contra aliquas Propositiones de Prædestinatione, Gratia Christi &c. anno 1588. ubi pag. 6. sic loquitur.

Et Censuræ quidem illi nomen dedimus, non quasi damnationis auctoritatem nobis sumentes, quam Sacrosanctæ Apostolicæ Sedis propriam esse non ignoramus, sed Scholasticum tantum ferentes iudicium sententiamque nostram dicentes, aut ut verius loquamur, non aliud quam fraternam correptionem interponentes &c. At quomodo eadem iterum, & quidem sub nomine Censuræ, quamvis mandato Sixti V. pridem irritæ, novis typis quasi rediviva nuper lucem aspexit?

Itaque sciendum est, hoc modo opiniones, quæ aliquibus auctoribus vitæ sunt probabiles, aliquando fieri omninò improbables: nempe si constet illas, non ab homine tantum privato, sed ab Ecclesia, vel Pontifice aliquâ Censurâ notatas esse, aut prohibitas omninò doceri, aut in praxim deduci.

Tales sententias in doctrina morali, non ita pridem ab Alexandro VII. & Innocentio XI. ritè proscripserunt, ad communem utilitatem & doctrinam hinc unâ Decretis subiicio: ut omninò sciatur etiam in Missionibus, ubi occasiones occur-

44 Pars 3 tract. 1. Principia practica.  
occurrent, ab earum usu, & praxi cavendum  
esse.

Censeo tamen varias earundem propositio-  
tionum, etiam ante prohibitionem, fuisse im-  
probabiles: plurimum enim discrepant non  
tantum à Christi-fidelium, sed à Librorum Sa-  
crorum & Patrum sensu; uti cuius patebit con-  
sideranti sedulo illas, cum proæmio Decreti hinc  
immediatè sequentis.

## ALEXANDRI VII.

### Decreta duo contra Propositiones 45

*Feriâ V. die XXIV. Septemb. M. DC. LXV.  
in Congregatione Generali S. Romana & univer-  
salis Inquisitionis habitâ in Palatio Apostolico  
Montis Quirinalis, Coram SS. D. N. D. ALEXAN-  
DRO divina Providentiâ Papa VII. Ac Eminen-  
tissimis ac Reverendissimis Dominis S. R. E. Cardi-  
nalibus, Inquisitoribus à S. sede Apostolica specia-  
liter deputatis.*

**S**anctissimus D. N. audivit non sine magno  
animo sui mœrore, complures opiniones  
Christianæ disciplinæ relaxativas, & animarum  
perniciem inferentes, partim antiquatas iterum  
fufcitari, partim noviter prodire: & summam  
illam luxuriantium ingeniorum licentiam in  
dies magis excrescere, per quam in rebus ad con-  
scientiam pertinentibus modus opinandi irrepre-  
hensibilis